



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

25 Papa Gregorius Septimus sacramento Eucharistiae se purgavit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

pus Domini nostri temerè, & perperam acceperunt. Nā rex in itinere Placentiæ statim mortuus est: reliqui verò omnes intra annum perierunt, ut testatur Sigisbert *in chronico: ann: 870.* quem refert, & sequitur Mart. del Rio, *d: par. 1. lib. 4. cap. 4. quest. 3.*

25 Gregorius† verò Septimus Pontifex, absoluto Henrico Imperatore ab excommunicatione, Missarum solemniam celebravit, confecta que sacra oblatione Regem cum cœtera, quæ frequens aderat, multitudine, ad altare evocavit, præferensque manu corpus dominicum: Ego, inquit, jam pridem à te, tuisque fautoribus litteras accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam, tam antea episcopatum, quam post acceptum Episcopatum, criminibus vitam maculasse: quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerunt. Et licet multorum idoneorum certè testimonium adtulatione crimen refellere queam, eorum, scilicet, qui omnem vitæ meæ, ab ineunte ætate, institutionem integerrime noverunt, & eorum, qui me ad Episcopatum promotionis auctores fuerunt; ego tamen, ne humano potius, quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam; ecce corpus dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiam meam: ut omnipotens Deus suo me hodie iudicio, vel absolvat objecti criminis suspitione, si innocens sum: vel subitane ainterimat morte, si reus.

Quæ, & alia verba terribilia præfatus, quibus Deum causæ æquissimum judi-

cem, & innocentiam assertorem adesse præcabatur, partem dominici corporis accepit, & sumpsit. Quæ liberrimè assumpta cum populus in laudem Dei innocentiam ejus congratulatus, aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio, conversus ad Regem ita fuit affatus.

Fac ergo, fili si placet, quod me facere vidisti. Principes Theutonici Regni suis indies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab ecclesiastica etiam communicatione, & omnimoda vitæ secularis conversatione, usque ad extremum spiritum te suspendi oportere existimans. Cum ergo tibi bene consultum cupiam, pro eo, quod in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ Sedis patrocinium expetisti, fac, quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti: libera compendiose, & Ecclesiam Dei scandalo, & te ipsum longè concertationibus ambiguum: & sume hanc residuam partem Dominici corporis, ut comprobata, Deo teste, innocentia tua obstruatur omne os, adversum te iniqua garrentium, & me deinceps causæ tuæ advocato, & innocentiam tuam vehementissimo assertore, Principes tibi reconcilientur, Regnum tibi restituatur, & omnes, quibus jamdiu res publica divexatur, bellorum civilium tempestates in perpetuum sopiantur. Quibus ille inopinata re, attonitus æstare, & tergiversari cœpit, experimentum hoc innocentiam suam facere reculans, ut per Lambert. Schaffnaburg. *histor. ann. 1077.* quem refert, & sequitur Mart. del Rio. *ead. q. 3.*